

DEO OPTIMO MAXIMO
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.



QUÆSTIO MEDICA,*
QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis secundâ mensis Decembris, anno Domini M. DCC. LXXIII.

M. PETRO CHEVALIER DE LA HAMONNAYE, Doctore Medico Præside.

An incipienti Pleuritidi aliquando Emeticum?

I.


ERICULOSIS affectibus Pleuritidem annumerare ne addubites; in eo si quidem inhæret lateri lethalis arundo : eorum quos misit ad plures vix reperias numerum : nullus in hominum vitam invadit frequentiùs; morbus est omnium anni temporum; Hyeme grassatur & Æstate, Vere & Autumno, frequentiùs tamen Hyeme, & Ver inter & Æstatem; cuilibet familiaris regioni : sive sis Colchus an Assyrius, Thebis nutritus an Argis, perindè illi obnoxius es; æquo pulsat pede masculum & fœminam, juvenem & se-

* *Anno 1743.*

nem, licèt huic ut plurimùm sit lethalis ob virium infirmitatem, illi verò maximè, periculosus propter mali vehementiam: Pleuritidis duplicem constituerunt speciem, non à materiâ nec à causâ morbi, sed à parte laborante sumpto discrimine; veram dixerunt, inflammationem membranæ costas succingentis, plevram vocant; spuriam verò, quæ musculis meso-plevriis insidet; quemlibet lateris dolorem pro Pleuritide habere errare est; afficiunt thoracem dolores atrocissimi, à quibus abest febris, respiratio stat facilis, pulsusque permanet æqualis, hos sanè Pleuritides appellaveris immeritò; horum enim signa ut & causæ sunt diversa: at legitimæ & nothæ Pleuritidis causæ, signa, symtomata ferè sunt eadem; in illâ tamen graviora sunt omnia, in hac verò remissiora; non enim adeò urget febris acuta, quæ utrique est assidua, respiratio nec tam difficilis, etsi crebra & parva, & latere petitus imo spiritus, pulsus nec ita durus & tensus, licèt inæqualis & frequens, dolor lateris non æquè pungens & distindens, sed pressione & decubitu excandescens, quod in verâ Pleuritide minimè accidit, quia morbus internus; unde decubitus in latus ægrum facilis, in sanum verò maximè molestus & gravis; deorsum enim propendens tumor, pondere menbranam distendit & dilacerat.

I I.

APTE si curare volueris, morborum nihil te fallat origo, & caveas pro Junone nubem corripere; fœlix sanè qui potuit malorum cognoscere causas, quas caliginosâ premit nocte, non solùm natura, sed & systematum Logodædaleorum farrago mirabilis, fingendique & opinandi effrœnata libido. In morbis hic suum commendat Archæum, quem iratum enixè studet placare, furentem mulcere, territum confirmare; at quis hæc Chimæras spectraque volitantia non diceret? Ille toto crepat ore fibrarum corrugationes, crispaturas, Erethismum. Hæc autem omnia morborum effectus, non causas quis non videat? Fœtus, non parentes? Opera, non opofices? Quid enim habent quod non acceperint à fluidis solida seu fibræ? Quorsùm igitur iis tantùm arrogare? Qui in venis & arteriis laudabilis est sanguis, dum purus liberè fluit, nullique non aptus usui, si momento moveri desinat, vitium capit, fitque rudis & indigesta moles, morbos tantùm apta producere; in his quidem vitiari solida lubens fatebor, sed vitium à fluidis mutuari, Fabio vel Judice vincam. Reclamas? Miror equidem! Exemplo sit Pleuritis; hanc sanè non aptiùs, quàm ab inspissatâ sanguinis diathesi, aut quorumdam, ex quibus conflatur humoribus repetes; sive enim frigore à balneo, refrigeratione à violento motu, aëre & potatione frigidiori, serum madefaciendæ plevræ dicatum seu perspirationis materies lentorem & crassitiem solitò majorem acquirant, hinc tùm infarctum & dilatationem plevræ vasculorum, tùm viciniorum sanguinis vasorum compressionem, tùm demum ipsius moram, quin & effluxum, proximum inflammationis auctorem, facilè deduces. Non igitur Pleuritidem committant tonica vasorum *strictura*, coarctatio spasmodica, fortior villorum elater, fibrarum oscillatio crebrior, petulans, nec reorum delicta fluidorum luat immerita solidorum vis systaltica, cùm quidquid habet vitii, fluidis acceptum referat.

I II.

MORBOS plerosque à morbis discernere difficilè quidem: sed eorum causas, ut plurimùm, intricatas evolvere, & apricum proferre adhuc difficiliùs: nec nisi verè Medico datur. Hic in causæ proximæ diagnosi non quiescit otiosus, sed ulteriùs & ad fontem mali progreditur. Hinc affectus specie prorsus similes, re & origine diversos distinguit; nam mobilis est & varia malorum natura.

Nec morbum curare contentus, illius causam subducere satagit. In Pleuritide plevra inflammatorio tumore tentatur; hic venæ sectionem repetitam dubiò procul postulat: ad hæc attendat Medicus necesse est; sed præterea quis modus inflammationis, quæ sanguinis crasis, quale illius vitium, æstimanda; & si quidem viscidus & crassus sanguis tumorem produxerit, si stomacho tumultum lenta ferat pituita, si ille vinoque ciboque fervet, si corpus hesternis onustum vitiis unà prægravat animum, atque humo affigit divinæ auræ particulàm, hæc sanè Emeticum indicant, quicquid in contrarium clamitent nonnulli; illud in his casibus periculosum esse fuge suspicari; hoc primarum viarum educet saburrám, summi mali materiam, quæ infirmo capiti, quin & pectori fluet utilis, utilis alvo; quippe illa pondus est noxium, quo sublato prosiliet sui compos natura, frænis remotis.

I V.

DE Anacatharsi equidem quid malè cogitas, quæ malum altis defixum radicibus evellit & eradicat? Quid times, cæco ductus præjudicio, turbas & procellas à remedio motos componente fluctus? Quid vereris irritationem à medicamine mali irritamenta subducente? At, ais, benigniora etiam vomitoria sitim, calores, tormina, & sexcenta alia solent movere? Ab his sanguinis motus intenditur? Esto hæc locum habeant in iis, quibus siccum ardet jecur, & inquietis bilis inæstuat præcordiis, quorum sanguis fervidus ad excandescentiam pronus. At in morbis à lymphâ inspissatâ, & sero redundante oriundis; in quibus molesta est pituita, ut aliquando evenit in Pleuritide, malà quando copia ægrum sollicitat stomachum, & primas inquinavit vias, fonte hoc derivata clades in pectus fluit, tùm in Emetico stat tutissima salutis anchora, omnemque prælibatis venæ sectionibus, paginam adimplet. Analogismum desideras? In dysenteria, quàm Pleuritidi valdè affinem quidam observarunt, sæviunt dolores atrocissimi, adsunt fibrarum tensiones, vellicationes, contractiones, quæ omnia vomitorio, radice nempe brasiliensi, semel adhibito, sæpe numero sedantur, compescuntur: hac ratione Kermes minerale, remedium non quidem novum, sed quod, cùm aliquandiu, nescio quo fato, quasi obsoletum fuerit, nuper à quibusdam renovatum est, & Regis liberalitate vulgatum, in Pleuritide & peripneumoniâ prudenter usurpatum, etiam circa initia mira prestat, tantùm valet in morbis vis Emetica.

V.

QUI Medicum se profitetur morbum curare debet, non neglectâ causâ, quâ sublatâ sæpe sæpiùs hic tollitur, aut si supersit faciliùs debellatur, profligatur. Si Pleuritidem cum fœdâ ventris proluvie conjunctam advertas, si morbum peperit cibus imperfectus & ardenti hærens stomacho, in hoc educendo una manet salus; sed quid istas auferet luxuriæ sordes? Huic scopo collimare si velis, & optatam studes metam contingere, propera saginis laxare stomachum, ut crudi ponant succi pericula, & libitinam evadat æger; hunc in finem Emetico nihil præstantiùs, hoc primam eruet mali labem; primis ergo temporibus (nam in festinatione securitas; nec cunctando in Pleuritide rem restitues) celebratis aliquibus venæ sectionibus, si audacem in illo præscribendo te præstiteris, innumera avertens symptomata omne feres punctum, & metuenda pelles pericula; alioquin multa renascentur, quæ sanguinis missione cecidere, sopitique ignes suscitabuntur. Nec te ab hoc istituto deterreat antiquitas, mendosâ Hippocratis interpretatione,

obcæcata : (*a*) *Concocta purgare & movere oportet, non cruda, neque in principiis, nisi turgeant; raro autem turgent.* Turgent igitur aliquando, & tunc, teste Hippocrate, movenda sunt incipiente morbo; sed quò maximè vergunt ducenda, & per loca convenientia, ut nihil invitâ facias Minervâ: hoc Artis opus, dùm naturam obsequentem reperit, parataque omnia, morbi auspicatos contundit impetus; sed in iis dijudicandis cautus sis; in acutis enim *judicium difficile, experimentum periculosum :* hæc non sunt tyronis & imperiti, cui nasus nullus est, nec discipulo Philippi committenda; sed majoribus curanda Medicis nempe exercitatis, qui cernant acutum, & sapientibus; nam medendi rectè sapere est fons & principium.

(*a*) Hippocr. aph. 22. sect. 1

Ergo incipienti Pleuritidi aliquando emeticum.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Natalis Nicolaus MALLET.	*M. Marinus-Jacobus-Clarus* ROBERT, *Serenissimi Ducis Bipontini Archiater, nec non à Consiliis & Secretis.*	*M. Petrus-Josephus* MACQUER, *Regiæ Scientiarum Academiæ Socius & Censor Regius*
*M. Franciscus-Ludovicus-Thomas d'*ONGLÉE.	*M. Maximilianus-Josephus* LEYS.	*M. Josephus-Maria-Franciscus* LASSONNE, *Regis in Sacro Consistorio Consiliarius, Regiæ Scientiarum Academiæ Socius, Regii Medicorum Nanceianorum Collegii Socius Honorarius.*
M. Guillelmus FUMÉE.	*M. Joannes* DESCEMET, *Censor Regius.*	*M. Julianus* BUSSON, *Nosocomiorum Regiorum in Britanniâ Inspector & Serenissimæ Comitissæ Atrebatensis Medicus Primarius.*

Proponebat Parisiis JOANNES-JACOBUS DELAPORTE, Parisinus, Doctor Medicus Monspeliensis, nec non Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, A. R. S. H. 1773. A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Typographi. 1773.